

**AP.** Quin tu ut occepisti loquere? **EP.** Occepere aliae mulieres  
duae post me sic fabulari inter sese — ego abscessi sciens  
paulum ab illis, dissimulabam earum operam sermoni dare;  
nec satis exaudibam, nec sermonis fallebar tamen,  
quae loquerentur. **PER.** Id lubidost scire. **EP.** Ibi illarum  
altera 240  
dixit illi quicum ipsa ibat — **PER.** Quid? **EP.** Tace ergo, ut audias  
postquam illam sunt conspicatae, quam tuos gnatus deperit:  
'quam facile et quam fortunate evenit illi, obsecro,  
mulieri, quam liberare volt amator.' 'quisnam is est?'  
inquit altera illi. ibi illa nominat Stratippoclem 245  
Periphanai filium. **PER.** Perii hercle. quid ego ex te audio?  
**EP.** Hoc quod actum est. egomet postquam id illas audivi loqui,  
coepi rursus vorsum ad illas pauxillatim accedere,  
quasi retruderet hominum me vis invitum. **PER.** Intellego.  
**EP.** Ibi illa interrogavit illam: 'qui scis? quis id dixit tibi?' 250  
'quin hodie adlatae tabellae sunt ad eam a Stratippocle,  
eum argentum sumpsisse apud Thebas ab danista faenore,  
id paratum et sese ob eam rem id ferre. **PER.** Certo ego occidi.  
**EP.** Haec sic aibat: sic audivisse ex eapse atque epistula.  
**PER.** Quid ego nunc faciam? consilium a te expetesso, Apoecides. 255  
**AP.** Reperiamus aliquid calidi conducibilis consili.  
nam ille quidem aut iam hic aderit, credo hercle, aut iam adest. **EP.** Si aequom  
siet  
me plus sapere quam vos, dederim vobis consilium catum,  
quod laudetis, ut ego opino, uterque, **PER.** Ergo ubi id est, Epidice?  
**EP.** Atque ad eam rem conducibile. **AP.** Quid istuc dubitas  
dicere? 260